

fingi conatus positivus, et distinctus ab actu primo, qui non sit actus elicitus ab ipsa voluntate, quia per illum conatum actualiter movetur voluntas volendo seu desiderando alium actum internum vel externum; illa autem motio actualis voluntatis aliquid positivum in ipsa est, distinctum ab actu primo, et illi additum, et pendens ab efficientia ipsius voluntatis, cum voluntas ipsa libere conetur, et consequenter pendens etiam a concursu Dei; erit ergo aliquis actus ab ipsa voluntate elicited. Igitur ex hac parte non potest dari meritum sine actu.

7. *Rejicitur etiam pura omissio a fundando merito.—Id probatur a D. Thoma.*—Superest ut probemus in sola carentia actus mali non posse meritum inveniri sine actu. Quod imprimis probant dicti auctores, præsertim divus Thomas, ex differentia inter meritum et demeritum, nam meritum habet rationem boni, demeritum autem rationem mali; bonum autem consurgit ex integra causa, malum vero ex quocumque defectu, et ideo, licet ad peccatum seu demeritum sufficere possit non facere quod quis tenetur, nihilominus ad meritum non satis est pura negatio actus mali, sed necessaria est positiva voluntas, qua quis velit aut non agere quod prohibitum est, aut tentationi resistere, quia sine voluntate perfecta et propria non potest esse meritum. Itaque ad demeritum sufficere potest voluntarium indirectum seu interpretativum; ad meritum autem, quod perfectius est, requiritur voluntarium perfectum et directum, quod sine actu voluntatis esse non potest, ut ex 1. 2, quæst. 6, suppono. Potestque hoc confirmari ex doctrina D. Thomæ in eadem quæstione, art. 3, ubi ait omissionem actus non esse indirecte ac moraliter voluntariam, nisi quando homo potest et tenetur aliquid facere, et sciens ac videns illud non facit. Hoc autem accidere potest in omissione bonorum actuum, non autem in omissione malorum; nam in bonis actibus potest supponi potestas et obligatio faciendi; in malis autem, licet supponatur potestas, non potest supponi obligatio; et ideo, licet omissio boni actus possit esse moraliter voluntaria tantum indirecte, ita ut homini ad demeritum tribuatur, nihilominus omissio mali actus non potest ita esse voluntaria moraliter et indirecte, ut ad meritum tribuatur, sed oportet esse directe volitam per aliquem actum.

8. *Auctoris probatio prima ad idem.*—Declaratur præterea, et variis modis confirmatur

hæc ratio, quia abstinere ab actu malo non potest esse meritorium, nisi sit voluntarium, alioqui mereretur homo dum dormit, quia nihil mali operatur. Non potest autem esse voluntarium, quin aliqua sufficiens consideratio præcedat, quia nihil volitum quin præcognitum. At vero posita sufficienti cogitatione inducente ad actum malum, homo non se continet ab illius executione nisi volendo; ergo talis omissio mali actus non est meritoria, nisi ratione boni actus, quo vult homo a tali malo abstinere. Dices non esse necessarium ut id velit per actum positivum, sed satis esse, si voluntas suspendat omnem actum tam nolendi quam volendi malum actum, seu objectum sibi propositum. At profecto multi putant hoc esse simpliciter impossibile, quod non est improbabile; verumtamen saltem est certum id esse moraliter difficillimum, et non contingere, nisi homo cum magna reflexione ad id attendat, ut suam experiatur libertatem etiam circa suspensionem actuum. At vero usus talis potestatis, et suspensio actus boni, quo homo refutet actum malum sibi per cogitationem oblatum, non est laudabilis, sed otiosa, imo et moraliter periculosa; ergo talis modus non operandi malum non potest esse meritorius; ergo ut homo mereatur, non operando malum, necesse est ut directe velit illud non facere, vel ut velit facere aliud bonum impossibile cum illo malo, et ita non est hoc meritum sine actu.

9. *Secunda.*—Quod aliter comprobatur ex alia differentia inter bonam et malam voluntatem, nam, ut homo male velit, non est necesse ut velit malum, quia malum, id enim repugnat, sed satis est quod velit malum sufficienter cognitum, etiamsi ex motivo bono indiscrete illud velit, quia malum ex quocumque defectu. At vero ut homo bene ac meritorie velit, non satis est ut velit bonum, sed oportet ut velit quia bonum, seu ex honesto motivo, ut suppono ex 1. 2, q. 18, et statim cap. 4 attingam. Hinc ergo est ut ad demerendum satis sit omissio boni actus debiti, etiamsi per puram privationem, et indirecte tantum voluntariam, esse supponatur, quia illa privatio boni actus est mala quocumque modo, vel ex quocumque motivo sit volita. At vero omissio actus mali non sufficit per se ad honestatem actualem voluntatis, quia potest esse volita ex bono et ex malo motivo; ergo, ut simpliciter sit honesta et meritoria, necessarium est ut sit voluntaria, seu intenta ex aliquo honesto motivo; non potest autem esse sic intenta, sine

CAPUT III.

UTRUM LIBERTAS ACTUS NECESSARIA SIT UT ILLE SIT MERITORIUS ?

1. *Assertio prima affirmans.*—Hæc quæstio disputari potest, vel secundum legem ordinariam rerum naturis consentaneam, vel etiam secundum absolutam Dei potentiam. In priori sensu, certissimum est de ratione actus meritorii esse, ut sit liber, libertate utique propria, quæ indifferentiam ad volendum contraria, vel saltem ad volendum et non volendum requirit, ideoque necessitati opponitur, et non tantum coactioni, ut in proleg. 2, c. 1 et 2, late declaravimus. Atque hoc in sensu veritatem hanc docent communiter Theologi in 3, d. 18, tractantes de Christi merito: Bonaventura, art. 1, quæst. 1, ad 3; Scotus, quæst. unic., § *Est igitur*, et in solut. ad 4; Albertus, art. 2, ad 1 et 2; Richardus, art. 1, quæst. 1; Almainus, quæst. 1; Durandus, quæst. 2, n. 5, et in 2, d. 5, quæst. 3, ad 1, et dist. 27, circa litteram Magistri, ubi alii Theologi idem sentiunt; et Ocham., in 1, d. 17, quæst. 2; Alex. Alens., 3 part., quæst. 17, memb. 2, art. 2; Marsil., in 3, quæst. 12, art. 1; Soto, lib. 3 de Natur. et grat., c. 7; Vega, lib. 15 in Tridentin., c. 16; Hosius, in Confess., c. 37; Bellarminus, lib. 5 de Justif., c. 10. Et sine dubio fuit sententia divi Thomæ in 1. 2, quæst. 21, art. 3, ubi rationem meriti et demeriti ponit ut proprietatem actus moralis et humani, de cujus ratione est libertas. Unde in solut. ad 2, docet hominem esse dominum illorum actuum, per quos meretur, et art. 3, ad 2, sic ait: *Homo sic movetur a Deo ut instrumentum, quod tamen non excludit quin moveat seipsum per liberum arbitrium, et ideo per suum actum meretur, vel demeretur apud Deum.* Et idem supponit de merito Christi in 3 p., quæst. 19, art. 3 et 4, juncto art. 4, quæst. 18.

2. *Probatur assertio ex locis Scripturæ, ubi libertas arbitrii nostri traditur.*—Potest autem hæc assertio probari eisdem Scripturæ locis, quibus libertas arbitrii demonstratur; nam in eisdem significatur ideo hominem esse præmii et pœnæ capacem, quia libertatem arbitrii in suis operibus et electionibus habet. Hoc patet manifeste ex vulgari loco Ecclesiast. 15: *Deus ab initio constituit hominem in manu consilii sui*, etc., usque ad illud: *Ante hominem vita et mors, bonum et malum,*

positivo actu voluntatis, ut per se notum videtur, quia intentio dicit positivum actum, et quia non potest discerni inter motivum honestum, ac turpe vel indifferens, nisi per positivum motum voluntatis; ergo ad meritum in non agendo malum necessarius est positivus actus voluntatis, quo id velit ex honesto motivo.

10. *Tertia.*—Et confirmatur, quia meritum apud Deum debet in gloriam ejus aliquo modo referri, quia de ratione meriti in communi est, ut sit obsequium vel commodum ejus, apud quem est tale meritum. At vero pura carentia actus mali non refertur in gloriam Dei, quia neque intrinsece habet illam relationem, cum de se sit indifferens ut bene et male appetatur; neque etiam ex relatione operantis, quia supponitur nullum habere actum; ergo talis pura carentia non potest esse meritoria apud Deum. Denique per meritum tendit homo in beatitudinem; per illam autem negationem actus homo non tendit in beatitudinem, sed ad summum ab illa non recedit; ergo non sufficit illa negatio ad meritum; ergo semper necessarius est aliquis positivus actus in quo meritum fundetur.

11. *Ad rationem pro Angesto in num. 4.*—*Ad confirmationem.*—Atque ex his solum manet fundamentum contrariæ sententiæ. Quidquid enim sit de peccato seu demerito, multi enim putant etiam illud haberi non posse sine positivo actu, etiamsi nunc contrarium admittatur, non refert, quia longe diversa ratio est in bono quam in malo merito, ut satis explicatum est. Et humano ac morali modo id est evidens; nam ad offendendum Deum, et demerendum apud illum, satis est non facere voluntatem ejus; ad merendam autem retributionem, non satis est illum non offendere, sed aliquid etiam in obsequium ejus facere necesse est. Unde ad primam confirmationem, respondemus laudari et præmio affici justum qui potuit transgredi, et non est transgressus, propter voluntatem obediendi Deo in non transgrediendo voluntatem ejus. Et similiter ad secundam confirmationem dicitur cum D. Thoma, dicta quæstione 79, art. 1, ad 2, quod declinare a malo, secundum quod ponitur pars justitiæ, non importat negationem puram, quod est non facere malum, hoc enim non meretur præmium, sed solum vitat pœnam. Importat autem motum voluntatis repudiantis malum, ut ipsum nomen declinationis ostendit. Ad alteram partem de conatu, satis responsum est.

quod placuerit, dabitur illi; utique tanquam pœna vel præmium. Et eandem vim habet illa conditionalis: *Si volueris mandata servare, conservabunt te.* Simili modo Ecclesiast. 31 de justo dicitur: *Quis est hic, et laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua, qui probatus est in illo, et perfectus est, et erit illi gloria æterna;* et statim additur: *Qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere malum et non fecit;* quia sine hac libertate nihil esset admiratione vel præmio dignum in operibus justorum, quod satis declarat Sapiens, cum adjungit: *Ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.* Idem ostendi potest ex verbis Pauli, 1 ad Cor. 9: *Si volens hoc ago, mercedem habeo;* quod de voluntate libere operante merito exponit Augustinus, lib. de Grat. et lib. arbitr., cap. 2. Significat ergo Paulus tunc solum esse locum mercedi et præmio, quando opus libera voluntate fit, et ideo de se dicit, 2 Timoth. 4: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die justus judeæ, non solum autem mihi, sed et his qui diligunt adventum ejus.* Corona autem libertatem operum supponit, quia, ut dixit Hieronymus, lib. 2 contra Jovin.: *Ubi necessitas, nec corona nec damnatio est;* unde idem Paulus, 2 ad Timoth. 2, dixit: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit;* ubi verbum legitime idem significat quod, secundum præscriptam legis, ideoque libertatem supponit, quam legis observatio requirit.

3. *Et ex locis Patrum, in quibus eandem libertatem demonstrant. — Ex Tridentino tandem confirmatur. —* Quapropter merito possumus hanc veritatem confirmare testimoniis Patrum, qui inde maxime probare solent hominem esse liberi arbitrii, quia est capax præcepti, præmii et pœnæ, ut in disput. de Libero arbitrio ex professo traditur a Bellarmino, l. 5 de Grat. et lib. arbitr., quæ compendiose idem refert lib. 5 de Justificat., c. 10, et nos aliqua diximus in dicto prolegom. 2, et in lib. 5, c. 4. Supponunt enim Patres in illis testimoniis quod, sicut non possent opera hominis mala esse pœna digna, nisi essent libera, ita neque bona fore digna præmio, nisi essent in potestate hominis constituta. Et ideo dixit Augustinus, lib. de Grat. et lib. arbitr., c. 2: *Ipsa divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad pro-*

missa præmia perveniret. Et inferius ait, cum David eum beatum prædicat, cujus voluntas fuit in lege Domini, satis indicare hominem voluntate sua in lege Dei consistere, quia mirum si illud non esset positum in hominis voluntate et potestate, non jam esset præmio beatitudinis dignus. Et ideo etiam dixit Bernardus, in l. de Grat. et lib. arbitr.: *Tolle liberum arbitrium, et non erit quod salvetur;* et serm. 8 in Cantic.: *Ubi non est libertas, nec meritum.* Quod optime confirmari potest illis Scripturæ locis, in quibus dicitur Deum judicaturum unumquemque secundum opera sua, tam quoad præmium bonorum, quam quoad pœnam malorum; non judicantur autem homines, nisi de operibus liberis, ut manifestum est, quia nec laudatur quis propter illa quæ necessario agit, nec etiam vituperatur propter ea quæ agere aut vitare non potest. Ergo cum opus meritorium sit propria materia divini judicii, et justitiæ præmiativæ (ut sic dicam), sicut peccatum est materia justitiæ vindicativæ, utrumque esse debet opus morale ac liberum. Et hac ratione præmium justorum dicitur fructus adinventionum ipsorum, juxta illud Isai. 3: *Dicite justo quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedit;* quia (ut ibi ait D. Hieronymus) *quæ seminaverit homo, hæc et metet,* ad Galatas sexto, *et unusquisque onus suum portabit.* Nec potuit melius explicari libertas operum, quibus talis fructus acquiritur, quam vocando illa justorum adinventiones, sicut de impio ibidem subjungitur: *Væ impio in malum, quia retributio manuum ejus fiet ei;* quam ponderationem illorum verborum insinuavit D. Thomas dicta quæst. 21, art. 3, in argumento *Sed contra.* Eique adjungi potest quod hac ratione merita justorum dicuntur proprie opera ipsorum, id est, proprie humana, in quibus homo non tantum agitur, sed etiam se agit et determinat; et ideo dicitur Apocal. 14: *Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.* Denique confirmari hoc potest ex Concilio Tridentino, quod in operibus gratiæ et salutis libertatem requirit, sess. 6, cap. 5, et in canone quarto, loquatur de actibus quibus disponimur ad justitiam, nihilominus et ratio est eadem de cæteris operibus meritoriis, quæ simul sunt morales dispositiones ad secundam justificationem, seu augmentum gratiæ, et ad gloriam suo tempore obtinen-

dam. Et ita eodem modo de cæteris operibus meritoriis loquitur toto c. 10, 11, 13 et 16, et in can. 31 et 32.

4. *An saltem de potestate absoluta possint mereri homines per actus voluntatis non liberos? — Opinio prima. — Ejus fundamentum primum ab exemplo meriti Christi Domini. —* Dicit fortasse aliquis his omnibus rationibus et argumentis solum probari, de facto et secundum ordinariam legem non mereri homines, nisi per opera libera, quia Deus ita statuit, vel quia non vult alia opera ad præmium acceptare, non tamen inde sequi hoc esse tam intrinsecum merito, ut non potuerit Deus aliud instituire et ordinare, si velit. Quæ obiectio postulat et propriam ac intrinsecam rationem assertionis catholicæ jam probatæ, et resolutionem quæstionis in secundo sensu supra proposito de potentia Dei absoluta. In quo puncto aliqui Scholastici docuerunt posse esse verum meritum apud Deum per opus non liberum a necessitate, sed coactione tantum, id est, per opus tantum voluntarium, præsertim cum perfecta cognitione et advertentia rationis factum. Ita sentit Major in 3, d. 18, quæst. 1, ubi admittit hoc esse possibile de potentia absoluta, non tamen de lege ordinaria, in qua nullam videtur admittere dispensationem. Idem tenet Gabriel ibidem, art. 1, notab. 5, et art. 3, dub. 1; et Olhot., ibidem, quæst. 1, art. 4, et citatur etiam Petrus de Aliaco; qui etiam de facto admittunt aliquam dispensationem illius legis saltem in Christo, quem meruisse putant per actum fruitionis, seu beatificæ dilectionis omnino necessarium, vel quia forte existimarunt in Christo non fuisse actus liberos a necessitate, vel quia, licet alios actus liberos habuerit, debuit nihilominus per illum perfectissimum actum, quamvis necessarium, mereri. Et hoc esse potest primum illius sententiæ fundamentum.

5. *Secundum fundamentum a priori. — Tertium. — Ultimum. —* Fundamentum secundum a priori ejusdem sententiæ, esse videtur, quia Doctores allegati existimant meritum non esse proprietatem operis ex natura rei, sed convenire illi solum ex institutione, et acceptatione divina, ut infra videbimus. Hinc ergo inferunt, sicut nunc Deus voluit ad meritum acceptare opera libere facta, ita potuisse acceptare voluntarium amorem, verbi gratia, etiam ex necessitate factum, quia hoc pendet ex voluntate Dei, qui potuit promittere præmium sub conditione operis voluntarii, sicut nunc

promisit sub conditione operis liberi. Tertio, potest hoc suaderi quia præmium debetur honestati operis, ut infra dicemus; sed eadem honestas, quæ est in opere libero, potest esse in opere necessario, ut patet in actu charitatis viæ et patriæ; habet enim eandem bonitatem, quia habet idem objectum, licet aliter applicatum; bonitas enim ex objecto sumitur, non ex applicatione; ergo potest Deus illum actum propter eandem bonitatem ad præmium acceptare, sive necessario, sive libere fiat. Accedit tandem quod libertas in actu, nihil est nisi denominatio a potentia, quæ respectu actus extrinseca denominatio est; ergo propter solam illam non potest actus ita fieri dignus præmio, ut sine illa esse non possit, seu a Deo acceptari, etiam de absoluta potentia.

6. *Assertio secunda omnino negans posse actum non liberum esse meritorium. —* Nihilominus, secundo dicendum est propriam libertatem actus, vel quoad specificationem, vel saltem quoad exercitium, ex natura rei et essentialiter esse necessariam ad proprium meritum, ita ut sine illa inveniri non possit, etiam de potentia absoluta. Ita sentiunt communiter Theologi allegati, idemque supponunt sancti Patres, quando, ex merito actuum, illorum libertatem colligunt; nam si necessitas libertatis ad meritum non esset intrinseca ex natura rei, sed ex institutione et acceptatione divina, posset facile responderi opera hominum esse meritoria, non quia libera sint, sed quia Deus acceptare illa voluit; contrarium vero sancti Patres supponunt, nihilominus ideo bona opera hominum digna esse posse, ut acceptentur ad meritum, quia libera sunt. Quod optime potest a contrario confirmari, quia non potest opus esse meritorium pœnæ, nisi sit liberum. Quo sensu dixit Augustinus, libr. de Vera relig., c. 14, et l. 1 Retract., c. 13: *Usque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum si non sit voluntarium;* et Aristoteles, 3 Ethicor., cap. 5, similiter dixit non reprehendi hominem propter naturalem defectum, sed propter ea quæ per inertiam vel otium committit, et ratio ipsa naturalis docet esse injustissimum punire aliquem propter id quod vitare non potest; ergo simili modo non potest opus esse præmio dignum, si absque libertate ex necessitate fiat; nam oppositorum eadem est ratio.

7. *Confirmatio a contrario. — Confirmatio secunda. —* Denique probatur a priori, quia esse meritorium vel demeritorium est proprietas quædam moralis, et ideo necessario

ac essentialiter supponit in actu esse morale, sine quo intelligi non potest proprietas moralis; at vero actus moralis primario et quasi formaliter constituitur per esse liberum, ut ex 1. 2 suppono; ergo non potest intelligi meritum in actu, nisi liber sit. Et confirmatur, nam ob similem rationem non laudamur nec vituperamur propter ea quæ naturalia sunt, sed propter bonos vel malos mores, qui libertatem requirunt; nam actum esse laudabilem vel vituperabilem, est proprietas moralis ejus, et ideo supponit in eo esse liberum, quod est esse morale; idem ergo est de merito; nam meritum supponit actum esse laudabilem, et addit respectum ad alterum, apud quem est meritorius, propter aliquod morale obsequium illi exhibitum. Et confirmatur tandem, quia qui meretur apud alium, oportet ut sit dominus sui operis, ut possit alterum obligare ad præmium reddendum secundum aliquam justitiæ rationem, quæ inter meritum et præmium necessario intervenit; sed homo tantum est dominus operum quæ libere exercet; ergo non potest opus intelligi dignum præmio, vel aptum ad meritum, nisi sit liberum, vel (quod idem est) sub dominio operantis. Dixi in assertione, *vel saltem quoad exercitium actus*, quia hæc sufficit ad dominium actus. Unde constat non esse necessariam ad meritum libertatem quoad specificationem inter bonum et malum, seu (quod idem est) non esse necessariam potestatem ad peccandum, ut videtur sensisse Abulens., Matth. 25, quæst. 566, dicens beatos non posse mereri, quia non habent liberum arbitrium flexibile ad malum; illa enim ratio supponit libertatem ad malum esse necessariam ad merendum, quod plane falsum est; alias Christus mereri non potuisset, quia libertatem ad malum non habuit. Et idem erit de confirmatis in gratia, si fortasse aliquis ita est intrinsece confirmatus, ut sublata ei sit potentia peccandi, ut fuit fortasse beatissima Virgo. Denique nulla est ratio cur ad merendum sit necessarius ille modus libertatis, cum libertas quoad exercitium, vel etiam quoad specificationem inter diversa bona, vera libertas sit, et operantem constituat verum dominum sui actus. Talis enim est libertas Dei, qua nobis libere bene facit, et satis est ut propterea omni laude, et gratitudine dignus sit; ergo eadem in creaturis sufficere, non solum de potentia absoluta, sed etiam ex natura rei, ut suis operibus mercede dignæ efficiantur.

8. *Ad primum fundamentum ab exemplo Christi in num. 4.* — Ad fundamentum contrariæ sententiæ, quatenus ex Christi merito sumitur, tanquam certissimum statuendum est, Christum Dominum habuisse opera libera, per quæ mereri potuerit, et de facto meruerit, neque de hoc potest esse inter catholicos controversia, quamvis in solvendis difficultatibus, quæ in explicanda illa libertate occurrunt, sit inter eos varietas, ut in 1 tom. tertiæ partis, tota disp. 37, late tractavi. An vero Christus meruerit per actum amoris beatificum, inter eos controvertitur; nos autem, cum supponamus actum illum etiam in Christo fuisse necessarium quoad exercitium, consequenter affirmamus non magis meruisse Christum per illum actum, quam per visionem beatificam, vel per ipsam unionem hypostaticam. Nam certo si actus omnino necessarius potest esse meritorius, vix potest ratio probabilis reddi cur non meruerit etiam per ipsam visionem, vel gratiam unionis. At vero his tribuere proprium meritum improbabillimum et inauditum est. Nam (ut supra dicebam) interdum extenditur verbum merendi ad quodlibet jus, vel rationem debiti fundatam in dignitate, vel in alia conditione personæ mere naturali, seu necessaria, ut si quis dicat Christum, quia erat filius Dei naturalis, meruisse habere a principio gratiam consummatam per beatam visionem; in quo modo loquendi verbum meruisse non significat proprium meritum, sed condignitatem proportionis sufficientis ad fundandum aliquod jus vel rationem meriti, non tamen potest significare proprium meritum, de quo tractamus. Ad eundem ergo modum permitti posset illa locutio, quod Christus, propter immensum amorem Dei, etiam beatificum, meruerit, id est, dignus fuerit quocumque alio bono creato, vel in se, vel in suis membris recipiendo, non tamen potuit in illo amore esse proprium meritum, quod in proprio et morali obsequio fundari debet. Neque hoc est contra perfectionem meriti Christi, quia habuit alios perfectissimos actus, aliumque amorem Dei liberum per quem meruerit.

9. *Ad secundum fundamentum in num. 5.* — Ad aliud fundamentum, sumptum ex acceptance divina, imprimis, licet daremus meritum hominis, etiam quoad dignitatem seu valorem, pendere ex ordinatione vel acceptance Dei, posset negari consequentia. Nam Scotus, Durandus et alii admittunt meritum ex acceptance, et nihilominus negant

posse Deum pro merito acceptare opus non liberum, in quo non sunt sibi contrarii (quidquid aliqui eis imponant). Quia, licet acceptatio vel ordinatio Dei sit necessaria, et aliquid conferat ad meritum, quicquid illud sit, nihilominus ex parte operis debet supponere capacitatem, ut possit ad illud genus dignitatis seu causalitatis ordinari, vel assumi (ut sic dicam); hæc autem capacitas in opere mere naturali et non libero nec morali non invenitur. Quapropter non potest Deus magis acceptare ad meritum actum naturalem, id est necessarium, quam habitum charitatis, vel quam pulchritudinem, vel aliquid simile. Quapropter, si Deus promitteret dare tale bonum habenti actum aliquem necessarium, illud bonum non haberet rationem præmii, sed liberalis doni sub tali conditione liberaliter promissi. Sicut si rex promittat talem honorem homini nato ex parentibus nobiles, non propterea acceptaret nobilitatem ut meritum illius honoris, sed tantum ut conditionem illi proportionatam. Ulterius vero respondemus falsum esse assumptum, intellectum de merito, quoad valorem et dignitatem operis; quia illam non accipit proprie ex acceptance Dei, sed potius ideo a Deo acceptatur, quia dignum est, ut infra videbimus. Una autem ex conditionibus a qua maxime pendet dignitas operis meritorii, est libertas, quia (ut dixi) est dignitas moralis, quæ esse morale supponere debet.

10. *Ad tertium fundamentum.* — *Ad ultimam suasionem.* — Ad tertium respondetur, præmium deberi honestati operis, non tantum secundum se seu physice spectatæ, sed quatenus potest morali modo attribui operanti, quia, licet præmium proportionetur operi, nihilominus ipsi operanti tribuitur ratione operis, et ideo necesse est ut ei possit imputari; sicut etiam D. Thomas 1. 2, quæst. 21, art. 2, cum Aristotele jam citato, dixit tunc actum esse laudabilem vel vituperabilem, quando potest imputari agenti, quia ipse est qui principaliter laudatur vel vituperatur. Actus autem non imputatur operanti, nisi quando est in potestate ipsius, ita ut habeat dominium ejus, ut ibidem dixit D. Thomas; nam qui sine libertate operatur, magis agitur quam agat, et ideo non tam illi imputatur opus quam nature, vel ejus auctori. Quapropter, licet in amore Dei necessario et libero, physice ac realiter sit eadem bonitas, tamen, quia modus operandi non est idem, et amor liber attribuitur amanti, tanquam se determinanti,

in amore autem necessario determinatur ab alio, ideo amor liber est capax meriti, non autem necessarius. Neque refert quod ultimo loco addebatur, quia libertas actualis non dicit aliquid intrinsecum actui libero; nihil enim hoc obstat, nam satis est quod in operante supponat realem et intrinsecam potestatem non habendi talem actum, vel habendi contrarium, per quam est homo dominus sui actus, ratione cujus domini potest homo acquirere vel amittere aliquod jus morale per actum suum, quod secluso tali dominio facere non posset. Sic enim, quamvis dominium humanum circa res extrinsecas nihil physicum addat vel domino, vel rei cujus est dominus, nihilominus ad morales effectus et contractus plurimum valet. Ita ergo hoc dominium actuum liberorum necessarium esse potest ad meritum, etiamsi nihil physicum addat actui, præter relationem ad potentiam talem potestatem habentem, nam in rebus moralibus hujusmodi denominationes vel habitudines magni momenti sunt.

11. *An quæcumque libertas, etiam imperfecta, sufficiat ad meritum?* — *Arguitur pro affirmativa parte.* — *Arguitur pro negativa.* — Ultimo dubitari potest circa hanc libertatem, quanta esse debeat ut ad meritum sufficiat. Et ratio dubitandi est, quia plures dantur gradus libertatis in actibus humanis; aliqui enim sunt plene et perfecte liberi ac deliberati, quia cum perfecta advertentia, et pleno consilio, ac libertate fiunt; alii sunt quidem sufficienter liberi, quia cum advertentia sufficiente ad potestatem moralem agendi et non agendi fiunt, quamvis non fiant cum plena deliberatione et consilio; alii denique sunt non omnino necessarii, tamen imperfectissime liberi, quia sine sufficiente morali consideratione ex aliqua subita apprehensione sequuntur, ita ut vix possint contineri. Dubium ergo est an quilibet istorum graduum libertatis ad meritum sufficiat? Nam pars affirmans videtur suaderi, quia in malis actibus quælibet ex his libertatibus sufficit ad demeritum; ergo etiam in bonis sufficere ad meritum. In contrarium autem videtur solus primus gradus sufficere, quia bonum ex integra causa, licet ad malum minor sufficiat.

12. *Decisionis pars prima.* — Nihilominus mediam viam tenendo, dicendum est perfectam libertatem, quæ saltem includat actuali advertentiam, quæ ad moralem potestatem agendi et non agendi sufficiat, necessariam esse ad meritum apud Deum, præsertim

gratiæ et vitæ æternæ, quod solum est proprium meritum de condigno, de quo nunc tractamus. Ita sentiunt Theologi citati, et expressius attigit Cumel., 1. 2, quæst. 114, art. 1, disp. 1, dub. penult., ante difficultatem 2, juncta disp. 3, quæst. 113, art. 3. Et probatur primo ratione insinuata, quia meritum, de quo agimus, est magnum et excellens bonum morale; ergo ex parte principii requirit causam perfectam et plenum dominium. Secundo, quia ad dispositionem ultimam gratiæ requiritur propria libertas, et usus ejus ita perfectus, ut sit in morali potestate voluntatis converti et non converti; ergo ad meritum de condigno non minor libertas necessaria est. Antecedens in superioribus sufficienter tractatum est, præsertim in lib. 3, 4 et 5, et non obscure sumitur ex Concilio Tridentino, sess. 6, cap. 5, et can. 4 et 5. Et breviter ostendi potest, quia ad peccandum mortaliter necessaria est hujusmodi libertas; ergo multo magis erit necessaria ad conversionem excludentem tale peccatum, saltem dispositive: tum quia debet servari proportio; tum etiam quia multo difficilius et gravior est actus conversionis; tum denique quia in illo actu principaliter operatur gratia, quæ illuminando, et dirigendo, ac juvando, non perturbando rationem operatur. Et hinc facile probatur prima consequentia, quia opus meritorium de condigno apud Deum, etiam est principaliter opus gratiæ, ut videbimus, et est dispositio ad novam gratiam cum majori jure ad obtinendam illam, et suo tempore gloriam; ergo non minor libertas requiritur ad meritum quam ad dispositionem primæ gratiæ. Tertio, quia meritum consistit in obsequio voluntario; non est autem simpliciter et sufficienter voluntarium, nec Deo potest simpliciter placere aut satisfacere, nisi fiat ex plena deliberatione et potestate; ergo talis usus libertatis requiritur ad meritum apud Deum.

13. *Decisionis pars altera.*—*Probatur variis mediis et exemplis.*—Addendum vero est hujusmodi libertatis usum cum adjutorio gratiæ esse sufficientem ad meritum, neque esse necessariam deliberationem omni ex parte perfectam. Probatur primo, quia nulla est ratio vel fundamentum sufficiens ad exigendam tantam perfectionem libertatis in opere meritorio; nam sine illa potest esse voluntarium simpliciter perfectum. Item ex parte voluntatis non requiritur summa applicatio vel conatus; ergo neque ex parte intellectus necessaria est consultatio et advertentia omnino per-

fecta. Item hac ratione Angelus mereri potuit in primo instanti, quamvis non potuerit tunc uti sua libertate cum tanta deliberatione, quantam in secundo instanti habuit, ut nunc suppono. Idemque est proportionaliter in homine, ut supra tractando de gratia operante et cooperante diximus. Præterea credibile non est communem modum operandi justorum non esse sufficientem ad meritum; cur enim Deus viam salutis ita restringeret, ut libertas, quæ sufficit ad peccandum mortaliter, non sufficiat etiam adjuncta per gratiam in illo gradu ad meritum? Sed justi in ordinario modo operandi virtutem non semper habent summam advertentiam vel deliberationem; satis ergo est, si operentur bonum cum ea libertate, quæ operando malum ad peccandum mortaliter sufficeret. Sicut dici solet, libertatem, quæ sufficit ad peccandum mortaliter, sufficere ad votum, vel professionem, aut contractum; nam simili fere ratione æqualis libertas sufficit ad jus justitiæ acquirendum, quod in merito invenitur. Denique similis libertas sufficit ad agendam pœnitentiam quæ sit sufficiens dispositio ad justitiam, quia sufficit ad moralem conversionem, aversioni peccati mortalis contrariam; ergo eadem libertas, juxta proxime dicta, ad meritum sufficit. Neque in hoc puncto gravior aliqua difficultas occurrit.

14. *Dubitationes aliæ alio remittuntur.*—Ulterius poterat hic quæri an ad meritum requiratur libertas a necessitate præcepti. Item an requiratur libertas a morali coactione per extrinsecam pœnam vel comminationem immissam. Sed hæc in cap. 5 et 13 tractantur.

CAPUT IV.

UTRUM SOLUS ACTUS MORALITER BONUS POSSIT ESSE MERITORIUS APUD DEUM?

1. *Assertio affirmans.*—*Probatur primo ex Scriptura.*—In principio hujus libri diximus, licet meritum de se in bonam et malam partem accipi possit, nihilominus in præsentibus per antonomasiam accipi pro merito præmii, et distingui a demerito seu merito pœnæ. Hoc ergo posito fundamento, per se notum est opus meritorium bonum esse debere, quia malum opus non est præmio dignum, sed pœna. Et ideo Scriptura docet in judicio divino distinguendos esse homines secundum opera, *ut unusquisque referat, prout gessit*

sive bonum, sive malum, 2 ad Corinth. 5; et Christus Dominus satis distincte id proposuit, Matth. 25. Unde Paulus, 1 ad Timot. 6, monet illum: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublimè sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vico bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Ergo sola bona opera sunt quibus homines thesaurizant in vitam æternam, utique merendo illam. Unde Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 16, volens doctrinam de meritis justorum tradere, dicit proponenda illis esse verba Apostoli: *Abundantes abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino*, 1 ad Corinth. 15. Unde inferius subdit: *Atque ideo bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna; et infra: Tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda.* Et in discursu illius capituli, sæpe repetit bona opera esse quæ mercedem apud Deum merentur, quod etiam docet in cap. 11, ubi inter alia adducit illud 2 Petr. 1: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Atque idem tandem definit, can. 24 et 26, 31 et 32.

2. *Probatur secundo ratione.*—*A divisione ratio constat.*—Ratio vero hujus veritatis est, quia malum opus non est dignum præmio, sed pœna; ergo solum superest opus bonum quod possit esse præmio dignum. Quia indifferens opus vel nullum est in individuo, secundum probabilior sententiam, judicium autem operum et retributio fit de illis, ut in individuo fiunt; vel certe si opus indifferens in individuo admittatur, non est cur potius sit præmio quam pœna dignum; nam si non meretur pœnam quia caret malitia, etiam non meretur præmium quia caret bonitate; imo recte dicere possumus, eo ipso quod bonitate caret, mereri carentiam præmii, quod potius est demereri quam mereri. Et confirmatur hæc ratio specialiter in merito apud Deum, nam omne meritum apud aliquem debet esse opus redundans aliquo modo in obsequium ejus, vel saltem in obedientiam et complementum voluntatis ejus; ergo et nostra opera debent hanc habitudinem ad Deum habere, ut apud ipsum meritoria sint. Non possunt autem illam habere nisi sint honesta seu moraliter bona, quia nostra opera non possunt aliquam utilitatem vel commo-

dum Deo afferre, sicut inter homines contingit, sed solum possunt in gloriam et honorem ejus redundare, vel voluntatem ejus implere, quod nisi per bona opera fieri non potest.

3. *Repugnat opus malum esse meritorium.*—*Similiter opus indifferens.*—Dices potuisse Deum acceptare ad præmium opus hominis, etiam non bonum, quia hoc non involvit repugnantiam, et ex liberalitate ejus pendet. Respondeo: si opus sit malum, divinæ bonitati repugnat, illud, ut tale est, ad meritum acceptare, vel propter illud præmium promittere, quia hoc est vel invitare hominem ad malum, vel saltem in malo complacere, et illud velle quod rectitudini divinæ voluntatis repugnat; si vero fingatur opus nec bonum, nec malum, præterquam quod hoc repugnat rationali naturæ, ut tanquam probabilius supposui, multo magis repugnat divinæ sapientiæ, propter illud præmium promittere, quia esset provocare homines ad modum operandi vanum, et non secundum rectam rationem. Quod quidem intelligendum est de opere indifferente, in sua indifferencia manente; nam si Deus præciperet homini opus alias de se indifferens, tunc optime posset propter tale opus beatitudinem promittere, tanquam propter verum meritum, quia jam tale opus factum ad voluntatem Dei implendam, non esset indifferens, sed bonitatem saltem obedientiæ participaret. Manente autem opere indifferente in individuo, non est capax meriti apud Deum, quia nullam rationem obsequii habet respectu Dei, neque aliquid dignitatis unde illi moraliter placere possit, ideoque, ut dixi, non est consentaneum sapientiæ Dei, propter illud, quia tale est, præmium promittere, imo nec tale opus postulare, ut necessariam conditionem ad bonum aliquod ab ipso obtinendum. Quod si per impossibile id faceret, adhuc non esset in tali opere vera ratio meriti, quia nullum haberet moralem valorem, nec dignitatem ob quam opus esset laudabile, aut præmio dignum. Unde, illa hypothese data, esset illa conditio de se quidem impertinens, voluntarie tamen postulata ad liberalem promissionem seu donationem, sicut super de opere necessario dicebamus. Est ergo bonitas moralis intrinseca et essentialis conditio operis meritorii, non minus quam libertas. Neque in hoc dissentientem Theologum nec difficultatem alicujus momenti invenio.

4. *An actus meritorius aliquam patiat*